DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE
VOMITU.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JACOBI WITTICHII,

A. L. M. ET PHILOSOPHIÆ DOCTORIS, EJUSDEM, UT ET ETHICES IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS *Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

JOHANNES TYRELL, Anglo-Brittannus.

Ad diem 31. Maji 1727. hora locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
ADRIANI VANDER HOEVEN.
MDCCXXVII.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

VOMITU.

Vomitus eſt Expulſio per Oeſophagum eorum primò quæ in Ventriculo, deinde & eorum quæ ſunt in Inteſtinis, ac eorum demum quæ in viſceribus continentur.

Inter omnes humano generi utiles ac neceſſarias artes Principem ſibi facile locum Medicina vindicare poteſt; Cum enim nihil homini, poſt Animæ Salutem, charius eſſe debeat ſanitate corporis, quâ labante & fatiſcente neque hujus vitæ munia recte obiri, neque opum & divitiarum fructus percipi ſalubriter poſſunt, quandoquidem inter multa alia Capita quæ ad Medicinam attinent, Vomitus hìc locum ob-

tinet, qui cùm tam multos edit effectus in humano corpore, ad hunc cogitandum meipſum de Penſo Academico verâ ſimplicitate dicere aggrediar.

Ventriculus vaſculum eſt illud amplum, oblonge rotundum, Conſtans ex Villoſis membranis, Nervoſis, Glanduloſis, Celluloſis, Muſcularibus, Vaſcularibus, & ex expanſione à Peritonæo.

Fibræ muſculares ſunt (1) Spirales, (2) Obliquæ, Longitudinales, hæ poſteriores ſeries habent duas, quarum una ex illis conſtat fibris, quæ Pylorum amplectantes, per dorſum Ventriculi adunatæ, ſuperius Os Ventriculi circundantes Ventriculi vacui ora adducunt, repleti vero omnino valde comprimunt.

Altera fibrarum ſeries ex illis conficitur, quæ ductu longitudini ſtomachi Parallelo Tunicæ vaſcularis partem concavam conficiunt.

A ſiniſtro ſtomachi latere oritur Oeſophagus, iſte Canalis recto curſu pergens & in ſubſtantia Ventriculo ſimillimus, ſtatim ab origine permeat per Diaphragma & dum permeat cum ipſo coaleſcit.

A Diaphragmate rectâ & continuatâ lineâ aliquantulum curvâ tandem intra fauces deſinit.

A latere dextro exit alter Canalis quem Anatomaci ſolent Pylorum appellare, craſſior quam reliquum Ventriculi, vacuo Ventriculo ſurſum erectus, pleno tamen magis deorſum tendens, Ventriculo vacuo retroflexus, pleno tamen cum decurſu fere recto reſpicit duodenum quaſi illi immiſſum, hæc immiſſio, illa craſſities & ſuperdicta circumductio fibrarum longitudinalium, Pylorum conſtituunt.

Duodenum ſic participem faciens cum Pyloro, totius Tubi inteſtinalis eſt principium in ſubſtantiâ ferè ejus-

ejusdem cnm Ventriculo, in parte inferiori nunc in uno nunc in duobus locis perforatur, pro faciliori ingreſſu biliaris atque Pancreatici ductus.

Sed præter hæc foramina, totus Inteſtinorum ordo, Ventriculus, Oeſophagus, atque Os; millia habent oſculorum, aquoſum liquorem, mucoſum, agglutinoſum, effundentium expuentium, ex glandulis, & Arteriarum finibus.

Nervi qui ad ſtomachum viam tendunt, à Pare vago & Intercoſtali originem ducunt.

Viſcera & partes propinquæ ſunt Diaphragma quod toti Ventriculi parti ſuperiori obductum, in Thorace ſuper Diaphragma collocantur pulmones in illud perpetuo elidentes.

In Hypocondrio dextro jecur præcipue poſitum cum ſuâ parte craſſiori illud totum ſpatium poſſidet, cum tenuiori ſe inter Diaphragma, & Ventriculum inſinuans, Diaphragmati ſpeciem haud abſimilem pulvinaris exhibet.

In ſiniſtro Hypocondrio repleto Ventriculo Lien connexus adhæret.

Infra Ventriculum, jacent Pancreas, Omentum, Inteſtina Meſenterium & cæt. Parte Ventriculi anteriori ſunt Muſculi Abdominales & in poſteriori ſunt Vertebræ.

Ab abdomine ſic formato ſic impleto, neceſſe eſt ut Ventriculus contactu partes adjacentes attinget; Ventriculo ſic conſtructo ſic collocato, ſi vel ille ipſe, ſive Diaphragma, ſive muſculi abdominales ſpasmis aut vellicationibus corripiantur, neceſſe eſt ventriculum diminutionem capacitatis ſubire.

Sed hæc diminutio non fieri poteſt abſque expulſio-

ne plus minusve ſuorum contentorum, quantum ad gradum convulſionis erit vel Vomitus vel Ructûs vel Singultûs.

Ex quaque parte jam ſic deſcriptâ quæ omnino ad hanc Actionem attinere poteſt, nunc de ordine incipiendum eſt demonſtrare, quantum in me eſt quo more hæc res perficitur.

Vomitus & nauſea expultricis facultatis Ventriculi depravati motus ſunt, ad ea, quæ hujus in cavitate continentur, noxia quam citiſſime per ſtomachum vacuanda; neque eſt idem vomentibus & ſingultientibus motus, quia in Vomitionibus, ea, quæ in Capacitate ſunt Ventris, rejiciuntur, in ſingultu quæ in ipſâ Ventriculi ſunt ſubſtantiâ & fibroſis nexibus ſimili ſcilicet tum affectu tum motu, qualis eſt iis, qui ex intemperie tuſſiunt, omnibus nimirum Ventriculi partibus, quod ſibi moleſtum eſt, expellentibus.

Ructus eſt flatus excretio per Gulam; cùm & alius ſit, qui per Inteſtinum rectum ſecernitur.

An Vomitoria ſeu Emetica quidem poſſunt Ventriculum movere (ſine ſenſu doloris) res diſputanda eſt, quod ipſa ſtimulent & dolorem excitent, Illuſtriſſimus Bellini ſic atteſtatur, nunquam dari poteſt vomitus præcipue violentus, & Coactus, quin ſenſus doloris, aut ſaltem cujudem faſtidii, & neceſſitatis in Vomitum, excitetur.

Hic ſenſus quo admonemur neceſſitatis in Vomitum, dubus eſſe poteſt, num a Vomitorio oriatur, an vero Vomitorium hâc in rê nullas habet partes, ſed aliquid aliud ſit, quod in Vomitum agat, poſtquam vomitorium abſumptum eſt, & quidem vomitoria non ſtatim Vomitum movent; ac ingeſta ſunt, nec ſtatim ab ingeſtione

ſtione vomendi ſtimulus, neceſſitasque percipitur, imo vero longiuſculum Tempus intercedit non raro, poſtquam vomitorium ingeſtum eſt, ac tandem vomitur, cum ſenſu in vomitum agente, eaque vomendi actu ac neceſſitate ceſſante, quieſcit Ventriculus, planè Stomachus non a ſuo Niſu ſolum, ſed a quocunque Senſu moleſtiæ, faſtidiive nedum doloris.

Poſtquam vero ita ſe habuit diutile rurſus invadit vomendi ſtimulus, moviturque, denuo, denuo fit quies, atque ita deinceps tertio quartove, & ex ordine ulterius per intervalla fit vomitus ſenſuſque faſtidii, mox quies & nullus moleſtus Senſus. Sint jam humores ejusmodi tantæ copiæ, ac tam faſtidioſi, ut vel cum in Cavitatem Ventriculi derivati ſunt, vel cum adhuc ſunt in glandulis, eorum vi ſtimulante cogatur Ventriculi muſcnlus valide contrahi. Itaque in hoc caſu fiet vomitus & vomitus cum ſenſu moleſtiæ, qui ſane ſenſus eſſe etiam poterit maxime intenſus, & cujuscunque ſummi doloris, prout humores excernendi erunt plus minus acres, magis minusve ſtimulantes. In hoc tamen Vomitu nullas habebit partes Vomitorium, cujus unica operatio eo ſolum pertinuiſſe poterit, ut produceretur vel ſecerneretur a ſanguine talis humor, qui eſſet ſtimulans, & expurgabilis per ſolas glandulas Ventriculi; Vomitorii vi ſtimuli, per ejectiones repetitas ſenſim invalide redditâ non amplius ſtomachum irritat ſed prorſus deſiſtit ſcilicet cum ructu & ſingultu.

Ab his omnibus ſic diſcriptis facile detur ratio quare Vomitus melius tutiusque perficitur cum Ventriculus mediocriter diſtenditur; nam quo magis (cæt. parib.) moles ulla movenda eſt, eſt expoſita Vi moventi, eo facilius moles iſta movebitur, in actione Vomitus, vires

res moventes ſunt a Pulmonibus, Diaphragmate, Muſculis Abdominalibus, & ipſo Ventriculo, materies in ſtomacho contenta eſt moles movenda. (cæt. parib) dico quia ſi Ventriculus nimis diſtentus ſit auxiliandi loco multo magis impediet.

Nam tunc muſculares Fibræ Ventriculi non modo extra Elaſticitates veras diſtentæ erunt, ſed etiam a peculiari harum decurſu ac Mechanismo orificia Ventriculi pro ratione exceſſûs repletionis tam valide conſtringerentur, ut tandem fuerit impoſſibile rurſum aperire; ſed citius quam ut aperiantur defringetur vel ipſe Ventriculus vel Oeſophagus.

Hinc plane manifeſtum eſt quam maxime errant illi, qui in Vomitoriis exhibendis, inter operandum dant bibere, vel nimium parce, aut copioſe ſupra modum unâ vice devorant, hi vitam in periculum adigunt, illi operationem Vomitivi nimis laborioſam reddunt.

Hiſce ſic ad finem perductis nunc de Vomitus actionis cauſis pauliſper tractandum erit; propinqua vel immediata cauſa hujus Actionis nihil aliud eſt niſi ipſe Vomitus, a remotis ſuis propriis cauſis excitatus, cauſæ remotæ ſunt quæcunque poſſunt determinare majorem copiam ſpirituum quam ſolito in inſtrumenta muſcularia ſupra memorata.

Hæ ſunt infinitæ, ergo ut omnes numerandæ ſint non expectari poteſt, ſed quandoquidem aliquid dicere plurimum neceſſe eſt, ſequens methodus illas primo dividendi in internas & externas ſatis benè obſervetur.

Cauſa internæ reſpiciunt, imprimis ad ſtructuram quam ſimilitudinem habet cum omnibus aliis Partibus (ſcil) ex Arteriis, Venis, & Nervis, ſecundo ad illius uſum (id eſt) Vas eſt recipiens atque iterum de-

demittens, Tertio ad illius connexionem cum Partibus adjacentibus, Ad primum Numerum Spectant Inflammationes, Suppurationes, Gangraenae, Sphacelus, Schirrus, Fungus, Ulcus, Spaſmus, Debilitas. Mirabile fors cogitanti non viedebitur, quod inter cauſas Actionis totius Corporis validiſſimas, Debilitas etiam enumeratur.

Veruntamem quod res ſic ſe habeat, non tantum probet ſatis frequens experientia, quin id etiam Ratione facillime acquiritur; ut Opinor ſic concipiatur; quo debilior eſt ulla pars, eo magis nervoſa, & quo magis nervoſa eò magis ſenſibilis, & facilius irritanda.

Ad numerum ſecundum ſpectant Pylori obſtructio à Callo, Cartilagine, Tumoribus Steatomatoſis, Ingeſtis irreſolubilibus, qualia ſunt fruſtula metalli, lactis caſeoſi & cæt. ut aliqui obſervaverunt Anatomaci, ſanguinis in Ventriculo Extravaſatio; Materies quædam viſcida ibi fluctuans; Pharmaca ingeſta, & denique defectus iſtius Muci ad Tunicam villoſam illinendam parati.

Ad numerum tertium referantur, mala Hepatis, Tumor, Durities, Callus & cæt. Mala Diaphragmatis, Pancreatis, Tumor, Schirrus, Cancer; Lienis Tumores magni; Inteſtinorum, Inflammatio, Inverſio, Flatus, Fæcum Induratio præſertim in Colo: Renum & Veſicæ Calculi, Inflammationes, Ulcera & cæt. huc etiam referantur Capitis variè affecti mala, ſanguinis intra Cranium extravaſatio, Cerebri Læſiones, Compreſſiones Corroſiones.

Quoad cauſas externas, hæ omnes commode referantur ad corporis varia geſta, lapſus in Canium, illius percuſſiones, percuſſiones & compreſſiones abdominis vehementes, & mala inde ſequentia.

B Exem-

Exemplum nunc dabimus de Effectibus quos in Corpore humano edit Vomitus.

Primum quod ſe offert eſt Ventriculi omnium eorum quæ in ipſo continentur, expulſio.

Glandularum, Cryptarum, Pororum, & Vaſorum intra ventriculi, Inteſtinorum Olſophagi, Faucium, Narium, atque Palpebrarum Cavitatem apperientium, Emunctio & Deterſio. Si quid eſt vel in ſtomacho vel in Inteſtinis aut vaſa inſpirantia vel Lactifera introeundi Idoneum, ab hâc vi immenſâ ex omni parte comprimenti introire cogetur.

Chylus per vaſa lactifera glandulaſque multas meſenterii vagas errantes, ab hâc preſſurâ ingenti tam multo aucta magis magisque dilutus, per niſſus, & aſſimilatus; In recepaaculum Chyli, ut nominatur Pecqueti, brevi adveniet.

Ab hoc Receptaculo ingenti Diaphragmatis Actioni nunc etiam obvie expoſito, iſte Chylus ita dilutus permiſtus & aſſimilatus, per Ductum Thoracicum ad Venam ſubclaviam magno cum impetu premetur, à venâ ſubclaviâ ad Pulmones tandem propulſo, quam magnas comminutiones, dilutiones & ſubactiones hoc tempore in hoc loco debet pati, quam uſque in communa Actione reſpirationis, vis hujuſce viſceris fere eſt incredibilis, viſceribus in abdomine contra aortam aſcendentem prementibus, ſanguis per illam non tam copioſe fluit, ſed quo copia minori huc propellitur, eo magis ad cerebrum viam tendet; & quandoquidem ſecretio quæque (cæt. parib.) ſemper eſt ut quantitas fluidi ad orificii ſecretionem pulſi, omnino neceſſe eſt ut in actione vomitûs, major ſpirituum quantitas ſecernatur, atque iterum quo copia majori contenti liquidi per Nervos expreſſi

preſſi pendet Vomitus vel vomendi ſtimulus, & exinde major perturbatio in muſculis citata motus ex conſequenti fieret major & longioris temporis, ab illa enim valida preſſione exprimitur (ut ante dixi) copia liquidi per Nervos major in ventriculi muſculum, unde illius ſubita convulſio, atque inde pendens ſubita, & valida conſtrictio ventriculi, & ex ipſo ſi quæ tum ſint contentorum ejectio per os ſeu vomitus, ſi autem vacuus eſt, ſolus ad vomendum ſtimulus. A partium fere omnium corporis per nervos, membranasque, inter ſe communicatione, omnes fere reliquæ partes ut ut concutientur, ab hac omni concuſſione ſangninis tranſitus venoſi urgebitur, vaſa plena materie ſaburroſa obſtruentur, humores lenteſcentes ſolventur, lympha inter muſculos ſtagnans repelletur, ut in Hydropum curatione hac methodo ſæpius obſervatur, & ſudores denique per totum corpus profuſiſſime erumpent.

Huc uſque vomitum, quatenus utiles admodum effectus præſtat, conſideravimus. Sin autem a cauſa nimis obſtinata aut morboſa aut artificiali oriatur, ſæva & horrenda ſymptomata non raro eveniant; ſcilicet, Ventriculi aut Oeſophagi Ruptura, Inflammatio, Gangræna, aut Sphacelus, Plicarum Ventriculi abolitio; ejus Paralyſis, aut ſanguinis in illum eruptio, vel per Anaſtomaſin, vel Diapedeſin; aliquando etiam Ventriculi ipſius in Thoracis cavitatem propulſio; debilitas totius corporis vix ferenda ſæpe ſæpius ſupervenit. Ex præmiſſis ſequitur, in quibuscunque morbis, Vomitus arte excitatus, conveniat.

Quod primum aliqua morboſa materies ſive acris ſive viſcida fuerit, in ſtomacho deliteſcit: quo propenſio ad vomendum multo facilius reddetur.

F I N I S.